

/ Illustrissime et Reverendissime Domine

Diuturni tandem silentii moras abrumpere, atque ad debitum scribendi officium, postliminio reverti suadet ac jubet tum praeteritorum grata recordatio beneficiorum, tum spes et exspectatio futurorum. Haud equidem possum indecori et laesae urbanitatis notam effugere, nisi identidem gratias habeam referamque pro filio m<sup>o</sup> Florentio, quem a nobis vixdum abeuntem, Romam venientem, multo magis praesentem (R/di P.Thomae Saillii amico interventu) incredibili quadam benevolentia in clientelam suam assumpsit Ill/ma ac Reverendis/ma V.D. nullo meo merito, maximo vero solatio. <sup>enim</sup> ~~eum~~ eum me nactum esse amicum, filium talem Patronum, quo neque ego optarem, neque posset ipse habere potiore.

At quia bene coepta non dispari fine perficiuntur in eorum manibus, qui juxta summi ac perfectissimi universorum Opificis Dei regulam operantur, obnixè postulatum venio, ut dispicere dignetur Illust/ma D.V. num res quam propositurus sum, matura sit, tempusque advenerit cumulationis beneficentiae: quam ut speraremus ubique satis perspecta vestra munificentia et charitas suo jure deposcit.

Sentio filium meum istic dubia valetudine tentari; audio nonnihil imminere periculi ne à Collegio missionem subire cogatur, et fortassis ad nos redire ut patrio solo aerisque natalis haustu recreatur. Quod si futurum est, exere quaeso optime atque amantissime Pater auxiliarem manum et benedictionem impertire; ac jube ne vacuis manibus revertatur, nullò penitus tantae vestrae clementiae et benignitatis fructu collato.

Post acceptas superiori anno ab Ill/ma ac Reverend/ma D.V. responsis et rationibus tum datis omnino judicavi acquiescendum, ne importunus aut imprudens audirem: verum nova emergente difficultate atque intercisa propemodum spe ulterioris patrocinii, cogor me sistere supplicem, et etiam atque etiam orare, ut pro juvene (uti credo, et ipsi vos propinqui spectatores notare potestis) pro juvene, in-

/ quam, bonae indolis et spei, statui ecclesiastico, ab ipsis fere in-  
cunabilis, nostra voluntate ipsiusque praesenti electione dedicato  
ac consecrato, apud Sanctissimum D.Papam N. commendationis verbum  
interloqui lubeat, ad Canonicatum aliquem in Belgio nostro vel Ca-  
5 meracensem vel Tornacensem vel Atrebatensem vel Insulensem. Eoque  
magis quod Florentii aetas aliquantum jam maturior, ante Canonica-  
tus plenam possessionem, idonea sit futura ad officium pro beneficio  
in Ecclesia Dei persolvendum. Si quam hic gratiam impetraro  
fecerit Ill/ma et Reverend/ma D.V. rem fortassis opinione sua Deo  
10 gratiorem, nobis vero peroportunam, cum ingravescente jam mea con-  
jugisque aetate, filio natu maximo ad bellica studia animum adjici-  
ente, hic Florentius nostrae familiae columnen aliquod, et suorum fra-  
trum quos longa serie plurimos numerat juniores patronus futurus  
videatur. Proinde eum tali in statu et vitae conditione constitutum  
15 vellem, ut à curis saecularibus expeditus, Deo devotus oculos non-  
nihil et curas in salutem suorum posset convertere.

Intelligit Illust/ma et Reverend/ma D.V. supplicis mentem. Spem  
mihi facit et caussae bonitas, et magis ~~nata~~ ~~ha~~ vestra humanitas et  
benevolentia, praesertim Deo Opt.Max adspirante: quem tota mentis  
20 contentione oro, ut Illust/mam et Reverendissimam D.V. Ecclesiae  
suae sanctae diu servet incolumem, magnaque beatitudine in aeternum  
cumulet. Datum Bruxellae die ultima Maii 1615.

Illustrissimae et Reverendissimae D.V.

Humilis servus

Tserclaes.

25 Si placeret Illust/mae D.V. filium meum in suam recipere familiam,  
tantisper dum de aliquo beneficio provideatur, vel alteri alicui Car-  
dinali aut praelato Ecclesiae eundem ob finem commendare, proderit  
hoc forte ad recuperandam valetudinem quae non ita foveri potest sub  
30 arcta disciplina Scolasticorum; videmus enim interdum aliqua honesta  
licentia permissa, valetudinarios convalescere. Rogo Illustriss.D. ut  
in hac petitione mea dignetur adesse.

(adresse): Illustrissimo ac Reverendissimo Sanctae Romanae Ecclesiae



(adresse):

Illustrissimo ac Reverendissimo Sanctae Romanae Ecclesiae  
Cardinali Bellarmino. Romae

-----  
(manu Bellarmini)°:

5 Il Sig/or Cerclaes vorrebbe un canonicato in Fiandra per Florentio suo figliolo, che presto si partirà del collegio Germanico.

Supplicare N.S. se gli piacer dare autorità al Nuntio di Fiandra di conferirgli uno de primi che vachi, perche è troppo difficile affrontare che qua sappiamo la vacanza.

10 Archiv.Vatic.Gesuit.18 fol.21-22. Orig.